8

DE GLORIOSA CHRISTI IN COELUM ASCENSIONE ORATIO

IN BASILICA LATERANENSI HABITA

Coram SS. Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

A MARCHIONE PETRO BARTHOLOMÆO MILLO.



ROMAE

APUD JOANNEM MARIAM SALVIONUM

TYPOGRAPHUM VATICANUM.

M. DCC XLVII.

SUPERIORUM FACULTATE.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SANCTISSIMO DNO. NOSTRO BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO.

PETRUS BARTHOLOMÆUS MILLO FELICITATEM.

CUM inter præcipua dona, quæ Christus ascendens in Altum dedit hominibus, Ecclesiasticæ Hie-

Ephes. 1.4. v. 8. & 11. *rarchiæ Institutionem Paulus enumeret veluti munerum omnium, & gratiarum parentem fœcundissimam; Cumque reipsâ Petrus, ut ex Dominicâ in Cœlum Assumptione Primatûs Jura, potestatem, ac Ministerium in se jàm derivasse* Act. cap. 1. v. 15. & seqq. *demonstraret, vix Divino Capite ab oculis Discipulorum sublato, primum Ecclesiæ Concilium suâ Authoritate coegerit, & Matthiam loco Judæ Apostolum ordinàrit: jàm facilè quisque intelliget,* BEATISSIME PATER, *orationem hanc qualemcumque meam, quæ videlicèt non tàm Dominici Tri-*

umphi


umphi pertexitur Epinicium, quàm Apostolici Principatûs inauguratio describitur, ex ipsâ rei subiectae affinitate ad Te unum, pertinere, Tibique uni propterèà nuncupari omninò debuisse: Quippe qui selectos inter Magni Petri Successores, Ecclesiæque Magistros primâ illâ Triumphatoris Aeterni præordinatione ad temporum nostrorum felicitatem designatus jàm fueris, ut Principem Sedem Magnitudine Virtutum impleres, Urbem, orbemque Catholicum non armis, sed sapientiâ, & auctoritate defenderes, ornares moribus, legibus emendares;

atque hisce demùm suppetiis Fidei victoriam, Christique regnum, quod Tuum est, longè latèque propagare nunquam desineres.

Quæ cum ità sint, nemo me audaciæ reprehendat, quod paginam hanc, rudem licèt, ac prorsùs inconcinnam Augustissimo Nomini Tuo inscribere minimè formidarim; cum præsertim non solùm Potestatis, sed Clementiæ quoque Hæres
Matth. cap. 19. v. 14. *Illius sis, qui nedùm parvulos non abjecit, verùm etiam ad se venire jussit, eorumque lau-*
Ibid. c. 21. v. 16. *des, & plausum ratum gratumque habuit. Hâc itaque*

spe

ſpe lactatus, in præclarum Tuæ dignationis argumentum Apoſtolicâ Te mihi benedictione gratificaturum eſſe indubitanter confido.



IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Nicolaus Ridolfi Ord. Predic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.



ORATIO.

QUI privatis tantùm commodis, BEATISSIME PATER, inhiare solent, quicquid verò humani est reliquum, a se prorsùs alienum putant, fortè suspicari possent, Unigenitum Dei Filium sibi partìm, partìm hominibus cuncta suæ Dispensationis officia paritèr, & beneficia impendere ad summum voluisse: & quemadmodùm traditus paulò ante fuerat propter delicta nostra, & resurrexerat propter justificationem nostram; jàm demùm gloriæ consulentem suæ, admi- *Rom. 4. v. 25.*

rabilem

rabilem in Cœlos Ascensionem, divinumque Triumphum uni sibi hodierna die reservandum constituisse.

Longè tamèn sit a Fidelium mentibus tàm ingrata hæc, tàmque perversa de Bonitate Christi Triumphatoris opinio. Ut enim Dei Filius erat, ipse quidem in sui Nominis gloriam ordinare omnia debuerat: Verùm cum Filius quoque hominis esset, hominumque Caput, ac Redemptor, totus itidem nobis dari, totus in usus nostros expendi voluit. Dedit Sanguinis pretium, ut nostræ vitam Animæ repararet; Resurrectionis suæ gloriam expendit, ut corporibus nostris spem recuperandæ immortalitatis ingereret.

S. Bern. Ser. 3. de Circumcis.

Quoniam verò neque animæ vita profuisset, neque Corpori resurrectio; nisi Cœlorum januis tandem aliquando reseratis summi Veri, Summique Boni fruitione Imago Dei perficeretur, humanæ verò carni gloriæ dotes accederent: *Ascendens hodiè Christus in Altum, Captivam duxit Captivitatem, dedit dona Hominibus*. Ascendit, inquam, ut pandens iter ante eos, Spiritalem, atque corpoream utriusque hominis resurrectionem gloriosam, beatamque

Ephes. 4. v. 8. Michea cap. 2.

que efficiendo compleret; atque adeò ſicuti Reſurrectio Domini ſpes noſtra eſt, ità, Auguſtino teſte, Aſcenſio Domini eſſet glorificatio noſtra. *Serm. 1. de Aſcenſ. quæſt. 90. inter diverſ.*

Et ſanè, ſi pro ſuæ dumtaxàt Humanitatis Gloria ad Patris Æterni dexteram convolare Chriſto Domino libuiſſet, quid neceſſe porrò fuerat, ut, convocatâ Diſcipulorum Multitudine, & ſenſim, & maniſeſtè ferretur in Cœlum? Neque enim *S. Bern. Ser. 2. de Aſcenſ.* ſecretò ſublatus, ut Abachuc, & Philippus; neque igneo raptus curru, ut Elias; non ſubitò translatus, ut Enoch; *ſed videntibus* *Act. cap. 1. v. 9.* *illis elevatus eſt*, elevatus, inquam, non ſublevatus: etſi enim Angelico ſtiparetur obſequio, non tamèn fulciebatur auxilio; ſed in multitudine fortitudinis ſuæ gradiebatur, ſuæ nempè divinitatis potentiâ, nec non animæ beatæ virtute; quæ corpus movere jàm pro libito poterat, cujuſque moventis imperio Corpus glorioſum facilè obtemperabat; ùt videlicèt congregatæ ibidem Corpus Eccleſiæ tandem aliquandò ſeſe elevare diſceret, quæ Caput ſuum ſic mirabilitèr aſcendens in altum vidiſſet.

Hinc Beatiſſimi Apoſtoli, omneſque Diſcipuli,

Discipuli, qui & de exitu Crucis fuerant
S. Leo Serm. 1. de Ascens. trepidi, & de fide Resurrectionis ambigui, & de sibi prænunciatâ Redemptoris absentiâ paulò antè fuerant tàm acerbè tristes, ita sunt de præostensâ propriæ glorificationis plenitudine roborati, ut non solùm nullà afficerentur tristitiâ, sed etiàm magno gaudio replerentur.

Sed Ecclesiæ nascentis lætitiam in immensum adauxit Patriarcharum, & Prophetarum, Veterumque Justorum beata Captivitas, quam Christus Dominus in altum ascendens captivam hodiè feliciter duxit. Enimverò, si vel solus Ipse, vel comitantibus tantummodò cunctis Angelorum ordinibus in Cœlestem illam, beatamque Hierusalem Triumphator ascendisset, suadere sibi homines facilè possent, Jesum uni sibi tanquam unico Dei Filio gloriosissimum hunc animæ, corporisque triumphum promereri voluisse. Quid igi-
Ephes. 4. v. 9. tur Christus? Descendit primùm in infe-
Coloss. 2. v. 15. riores partes terræ, & expolians Principatus, & Potestates, confregit tenebricosi illius Carceris fores, quibus tot retrò seculorum Animæ Sanctæ, ob primi Parentis reatum adhuc superstitem, captivæ detine-

detinebantur; easque secum educens in liberi luminis auras, quadragesimo tandem post Resurrectionem die, ceu nobilissimam sui Triumphi pompam in Cœleste Capitolium unâ secum victor evexit.

Attollite jàm ergò portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales: Ecce enim Dominus virtutum, ipse Rex gloriæ portas jamdiù clausas, obstructasque non aperiri modò jubet, sed attolli, sed elevari, quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore Mundus intrabat. Qui enim pro totius Mundi redemptione Principem tenebrarum justo prœlio devicerat, pro omnium pariter glorificatione divinum planè triumphum agebat. Præmisit equidem antè nos veterum Parentum animas secum in Cœlestia triumphantes; Nunquid tamen Sponsam viduam; numquid filios Ecclesiæ orphanos dereliquit?

Ps.23.v.7.&9.

S.Ambros.lib.4. de fide cap.1.

Immò verò in Paternæ gloriæ consortium assumptus, tàm magna, tàm pretiosa dona dedit hominibus, ut non triumphum concludere, sed ampliorem in Cœlis, novumque in Terris pro Ecclesiâ inchoare videretur. Quemadmodùm enim dispo-

Luc. 22. v. 29. diſpoſuerat illi Pater Cœleſtis Regnum, hoc ipſum Apoſtolis a ſuâ ſtatim inauguratione diſpoſuit; miſſoque de Cœlis, quem antè promiſerat, Spiritu Paraclèto, tantâ *Ibid. 24. v. 49.* eos munerum ſupernorum, tantâ vicariæ Poteſtatis plenitudine induit ex alto, ut non armorum vi, non divitiarum potentiâ, ſed manſuetudine, ſed paupertate; non ſecularis ſapientiæ tumore, ſed oſten- *1. Cor. 2. v. 4.* ſione ſpiritûs, & virtutis, non ſanguinis claritate, ſed effuſione, non denique ſenſilium, præſentiumque bonorum illecebrâ, ſed ſpe futurorum, & argumento non apparentium per omnes mundi plagas Ec- *Pſal. 56. 12.* cleſiæ Regnum extenderint, in perpetuas Æternitates duraturum. Exaltato namque *Auguſt. Serm. 262. alias de diverſ. 23.* ſuper Cœlos Homine Deo, Eccleſiam pariter, quæ ſponſa, adeòque gloria Chriſti eſt, ſuper omnem terram exaltari oportebat.

Jàm verò ad te, Urbs Æterna, mea ſe convertit oratio. Spectare ne tibi unquam datum eſt vel auguſtiores in Te, vel Tibi feliciores aut Regum, aut Conſulum, aut Cæſarum tuorum Triumphos? Quid tamen antiqua memorem? Quidue præterita lugere tibi ſuadeam, quæ Imperii

perii Majeſtatem non amiſiſti, ſed in melius commutaſti? Chriſtus enim in Paterno ſolio triumphans Te unam præ cunctis Nationibus ad eam gloriam provexit, ut per ſacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta latiùs præſideres Religione divinâ, quàm dominatione terrenâ. Quamvis enim multis aucta victoriis, Jus olim Imperii tui terrâ, marique protuleris; minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod Triumphus Chriſti ſubjecit.

S. Leo Serm. 1. in nativit. Petri, & Pauli.

At enim completa nondum eſt victoria Illius, qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia. Implevit terram ſuis miraculis, doctrinâ ſuâ, ſuiſque Myſteriis: Implevit Cœlum ſuæ Humanitatis gloriâ, & præſentiâ: ſuis denique donis omnem implevit Eccleſiam. Sed Imperio, & Filiis Eccleſiæ orbem univerſum implere debet, donec omnia ſubjiciantur ſub pedibus ejus, & fiat unum Ovile, & unus Paſtor.

Ephes. 4. v. 10. *1. Cor. cap. 15. v. 28 Jo: 10. 16.*

Viri ergo Apoſtolici, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum? Veſtrum intereà eſt Chriſti Regnum, atque Triumphum Gentium omnium converſione perficere, quouſquè

Act. 1. v. 11.

usquè Dominus eâdem, quâ semel ascen-
1. Cor. c. 15. v. 26. dit, Majestate iterùm veniens, novissimam omnium destruat mortem, reformetque
Philip. 3. v. 21. Corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; ut plenâ quoad utrumque hominem, beatâque immortalitate donati, unà cum Patribus nostris rapiamur omnes obviam Christo in aera;
Thess. cap. 4. v. 16. cum eoque simul ascendentes, Æternum, cumulatumque in Patrià triumphum peragamus.

LAVS·DEO